

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 17. De relapsu in peccatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

Digna pœnitentiæ opera facientes. Martius,  
Ex ijs  
entia  
ructus  
quæ,  
Maje-  
itudi-  
seum  
mus?  
quan-  
per-  
is &  
ali-  
far-  
ha-  
mi-  
IOV  
uam  
ecca-  
s pa-  
les,  
uam  
in-  
are,  
non  
&  
uo-  
, ne  
qua-

6 A. 26. v. 20.

Pœnitentia crimine non sit minor. Cy-  
prian de lapsis.

---

## DIES XVII.

### De relapsu in peccatum.

#### I.

Qui sit, ut semper in eadem peccata recidas, nisi, quod medijs, quæ te ab ijs defendere possent, non utaris, nisi, quod peccato efficaciter renuntiare nolis? Nam efficaciter id velle, est media usurpare. Tu vero eo te abdicandi contentus es voluntate vaga, & generali, quæ alio non collimat, quam ut te inutiliter occupet, & decipiatur. Sic velle, est nolle; vel certè, non velle eo modo, qui ad pœnitentiam sufficit. Credisne verbis aliquis ægri asserentis, sanari se cupere, cum ramen nullam admirtere medicinam velit? an non & tu eadem navi navigas? quis tibi persuadeat, te animæ tuæ salute in serio desiderare, cum omnia ferè media negligas, quæ eam tibi afferre possent?

II. Forsan media quædam adhibere sta-  
tueres sed non ea, quæ tibi proponuntur,

nec

**Martius.**

nec ea, quæ tibi salubriora sunt. Illa nimis aspera tibi videntur; ista, inquis, nimis importuna sunt, & molesta. Atque hoc ipsum ostendit, voluntatem tuam, peccatum vitandi seriam non esse. Visne hujus rei argumentum? si hæc ipsa remedia tibi afferrentur ad reddendam corpori tuo graviter afflito sanitatem, nec momentum deliberares; immo & commoda tibi videantur. Qui ergo fit, ut ea tibi videantur intolerabilia, ubi de vita tuæ emendatione agitur, nisi quod salutem corporis, non item animæ efficaciter desideres? Hoc & non alio modo ad bonam frugem se recipere velle, est reapse penitus nolle: cum hæc voluntas talis non sit, qualis ad pœnitentiam sufficit.

III. Sed obstacula, inquis, remedij potentiora sunt. Atque hæc relapsuum sunt origo. At quænam sunt hæc obstacula? non alia, quam isthæc prava animi affectio, istud commercium, ista occasio: Dic mihi: adhibuistiné vel modicam diligentiam hisce obstaculis superandis? impendistiné serium conatum huic animi affectioni vincendæ? intulisti tibi vim aliquam ad propensionem hanc, quæ te ad hoc objectum trahit, quæ hac te occasione involuit, edomandam? an non absque

ulla

ulla fere resistantia eò te abripi passus es? Martius.  
Hæc obstacula magna sunt; verum si ea  
perfringenda forent, ad jacturam bono-  
rum, sanitatisve tuæ evitandam, vel litem  
aliquam evincendam, te non terrorent; ea  
tamen horres, ubi de peccato vitando agi-  
tur. Unde hoc discrimen oritur, nihil è  
discrimine voluntaris, qua talia cupis?  
Unum nempe efficaciter cupis; non item  
alterum. Cùm itaque voluntas tua pec-  
catum fugiendi efficax non sit, ànne since-  
ram penitentiam tuam esse credis?

Statue uti mediis, quæ lumen gratiæ, vel  
Confessarij instructio te docebunt, aptiora esse ad  
peccatum fugiendum, & relapsum impediendum.

Quàm vilis facta es nimis, iterans vias  
tuas. Jerem. 2. v. 36.

Inanis est penitentia, quam sequens  
culpa coinquinat. Aug.

---

## DIES XVIII.

### De Cæcitate animi.

I.

CÆCITAS ANIMI POTISSIMA PECCATI CAUSA  
est. Quivis peccator cæcus est; nec pec-  
cator esset, si cæcus non esset. Si Deum,  
si seipsum, si peccatum cognosceret, id

Q

nun-